

perfectiorem visionem quantum ad perfectionem intensionis, vel claritatis in videndo Deum, reddi tamen perfectiorem visionem perfectione quadam individuali. Itaque ex alio capite sumunt claritatem, seu intensionem visionis, ex alio entitativam perfectionem individualem. In quo tamen consistat ista perfectio, vel quid sit, hæc sententia non explicat, de qua videri potest p. Alarcon tract. i de visione Dei, disp. III, cap. VI, num. XI, de eo tamen sequenti articulo agetur.

XIII. Secunda ergo sententia principalis negat æqualitatem, vel inæqualitatem visionis ullo modo sumi ex potentia intellectus ejusque naturali vi, et diversa perfectione, sed solum ex ipso lumine, ejusque diversitate. Est communis auctorum, præsertim inter Thomistas in commentariis ad hanc quæstionem art. VI, Zumel, Bagnez, Gonzalez, Navarrete, et alii communiter, Medina 1-2, quæst. III, art. II; Ferrariensis III contra gent. cap. LV et LVIII; Soto in IV, distinct. XLIX, quæst. III, art. II; Suárez lib. II de attributis negativis, cap. XXI; Vazquez hic disp. XLVII, cap. VI; Arrubal. disp. XXII. Cum autem pro ista sententia duplex ratio assignetur, altera a posteriori, quia quantitas visionis solum datur juxta merita ex gratia, altera a priori, quia ratio intrinseca, et tota visionis sumitur ex virtute elevante, quæ est lumen gloriæ, in hac secunda ratione non omnes conveniunt. Et ita est varietas opinionum in tradendo fundamento a priori hujus sententiæ. Quidam enim illud assignant ex eo, quod tota ratio, et virtus eliciendi proxime visionem est virtus supernaturalis luminis, diversitas vero intellectus nihil omnino conducit ad inæqualitatem visionis, quæ est communior ratio Thomistarum. Alii non admittentes quod si lumen tota ratio ope-

randi, sed quod etiam suam partialem virtutem habeat intellectus, adhuc tamen docent non reduci inæqualitatem visionis ad inæqualitatem intellectuum, quia intellectus se habet per modum instrumenti, quod non seorsum operatur visionem, vel aliquid visionis ab intellectu, sed indivisum cum illo. Ita Vazquez ubi supra. At vero p. Suarez citatus num. VIII et IX, licet etiam admittat intellectum se habere per modum causæ instrumentalis, magis tamen docet id sumi ex eo, quod intellectus non influit in visionem nisi ratione potentiæ obedientialis, et hæc æqualis est in omnibus intellectibus, et licet habeat virtutem partialem, illa tamen est in complexu, et ei soli non correspondet aliquid in visione per modum gradus aut perfectionis majoris.

Hæc sententia secunda a nobis simpliciter probatur, et ideo solum restat ejus rationes explicare, in quo est tota difficultas.

XIV. Prima ergo ratio sumitur a posteriori. Quia quidquid in visione beata invenitur etiam quantum ad majorem perfectionem, et excessum, totum illud se habet ut vita æterna, et beatitudo, et præmium supernaturale, correspondens meritis, ergo stantibus æqualibus meritis, et æquali lumine ex illis dato, æqualis visio sequetur. Antecedens est certum, quia ut docet Concilium Florentinum in decreto visionis: Juxta meritorum distinctionem, varie etiam Dei essentia a beatis videtur, ergo illa varietas, et inæqualitas debet esse juxta meritorum distinctionem, nec enim aliam causam agnoscit Concilium ratione cujus divina essentia varie videatur, nisi propter distinctionem meritorum. Et ratio est manifesta, quia major visio plus videt, et fruitur de Deo quam minor, ergo excedit illam in ratione visionis beatificantis, ergo

in ratione visionis supernaturalis, ergo in ratione vitæ æternæ, ergo et gratiæ, nam: *Gratia Dei vita æterna*, Rom. VI, et in ratione præmii, quia illa major visio, majus præmium est, et multum habet de præmio sic excedere in visione Dei. Major autem activitas intellectus, cum sit aliquid ordinis naturalis est beneficium naturæ, et a Deo creatore procedens, non a Deo glorificatore, ergo ratione illius non potest visio ipsa crescere in ratione ipsa visionis, ita quod perfectius videat Deum. Nam de alia perfectione entitativa, quæ nec majorem intensionem, nec majorem claritatem præbeat, non agimus nunc, nec intelligitur quæ perfectio illa sit, solum enim tractamus an inæqualitas visionis in ipsa attingentia objecti possit major reddi ex majore activitate intellectus influente in visionem, non de aliis perfectionibus entitativis agimus.

XV. Respondent varie auctores oppositi. Molina ubi supra duas adhibet solutiones. Prima, quod visio est secundum proportionem meritorum, sed non lumen, et ita habenti potentiam minus perfectam cum æqualibus meritis, dabitur plus luminis quam alteri habenti meliorem intellectum cum eisdem meritis, et sic visio exhibit æqualis, facta illa compensatione. Et sic visio erit præmium, sed non lumen, sed solum conditio requisita. Secunda solutio est, quod ubi sunt æqualia merita recipient æquale lumen, sed non æqualem Dei concursum, sed ille qui est minoris intellectus fortio-rem concursum habebit, ut æquetur in visione alteri, qui habet majorem intellectus. Alii hanc diversitatem auxilii sic explicant, non quia Deus conferat majus auxilium habenti minorem intellectum, sed e contra, quia detinet suum concursum ne concurrat cum intellectu perfectiori

juxta totam ejus activitatem, sed juxta proportionem ad alterum qui habet æquale lumen, et minus de intellectu. Et sic facta ista compensatione procedunt æquales visiones juxta meritorum proportionem. Alii denique succumbunt, et non reputant inconveniens, quod qui habent æqualia merita habeant visionem inæqualem ob majorem activitatem naturalem, quæ non destruitur a gratia, sed perficitur.

XVI. Cæterum omnes istæ solutiones sine ullo probabili fundamento procedunt. Et hæc ultima non est tuta in principiis fidei, quia ut jam supra ponderatum est, visio Dei datur in præmium, et in beatitudinem, et per modum vitæ æternæ; unde nihil in ea est, quod non correspondeat meritis, et gratiæ, non autem naturali activitati, quia totum, quod est in illa visione etiam quantum ad majorem excessum, et inæqualitatem est vita æterna, si quidem est major visio Dei, ergo major vita æterna, quidquid enim pertinet ad visionem Dei pertinet ad vitam æternam, juxta illud Joan. XVII: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*. Constat enim quod excedit vitam naturalem cum juscumque intellectus illa visio etiam in quantum major, ergo pertinet ad vitam æternam, sed vita æterna est gratia Dei, juxta illud Roman. VI: *Gratia Dei vita æterna*. Ergo impossibile est quod fundetur in aliqua perfectione naturali, scilicet in intellectu excellentiori, quia ista excellentia non est gratiæ, sed naturæ.

XVII. Aliæ vero solutiones sunt omnino deficientes. Nam prima ipsi etiam Molinæ displicet, et merito non solum ob ejus rationem, sed quia lumen gloriæ est virtus elevans intellectum ad videndum Deum, ut determinat Concilium Viennense, ergo intellectus ille per-

fectior cui confertur minus lumen, est minus elevatus quam alter cui majus lumen datur, ergo minus videbit Deum, si enim datur virtus elevans ad videndum Deum, ita quod sine virtute elevante non videtur, ergo ubi est intellectus minus elevatus minor erit visio. Et præterea, quia ille, qui habet intellectum perfectiorem meruit tantum lumen, quantum qui habet minus perfectum, quia habent æqualia merita, et de facto daretur illi, si haberet imperfectiorem intellectum: ergo contra omnem justitiam est, quod iste privetur solo lumine, et suo jure, solum quia habet intellectum perfectiorem in naturalibus, et ut parificetur alteri rudiori, qui paria merita habuit. Et tenetur consequenter hæc solutio dicere, quod habenti meliorem, et perfectiorem naturam, si habeat æqualia merita cum eo, qui habet rudiorum, minus etiam dabitur ei de gratia, et charitate, quia est eadem ratio ac de lumine gloriæ, et sic privabitur aliqua portione gratiæ, sine ullo demerito suo, solum quia excellentioris ingenii est.

XVIII. Secunda vero, et tertia responsio etiam sunt ejusdem improbabilitatis, nam illud majus auxilium quod datur habenti minorem intellectum non datur connaturaliter, et proportionate ad principium quod est in ipso homine, quia lumen gloriæ, ut supponitur, est æquale cum lumine alterius, et sic non petit majus auxilium, et intellectus est inferior, et sic non petit tantum auxilium, ergo non est connaturale quod sic detur, et sic æqualia merita petent res extrahi a suo connaturali cursu. Et præterea illud majus auxilium, vel est debitum ex vi meritorum vel indebitum, et gratuito datur a Deo, ut æquetur visio hujus visioni alterius. Si datur gratuito, ergo iste non possidet ut

coronam justitiæ tantam gloriam sicut alter, si quidem ille excessus, in quo alteri æquatur, datur illi, ut indebitus, et mere gratis, ergo non ut præmium et tamen habuit merita æqualia, ergo non habet totum quod ex meritis ei debetur ut præmium, quia ex meritis æqualem gloriam habere postulat cum altero, in re autem habet aliquid de gloria non ut præmium, quia non ex meritis, sed gratis datum. Si autem est debitus ille major concursus, ergo ex meritis est debitus, nam non apparet quo alio titulo debeat, vel ergo ille concursus sic debitus ex meritis est supernaturalis ordinis, et hoc non quia in supernaturalibus, ut supponimus, merita fuerunt æqualia, si autem iste faceret sibi debitum majorem concursum supernaturalem, in eo quod major, inæquale præmium haberet, et consequenter meritum. Si vero est ordinis naturalis ille major concursus, non facit ad rem pro meritis supernaturalibus, quia illa solum ad æqualitatem præmiantur præmio supernaturali, non concursu naturali. Et reddit idem argumentum, quia aliquid amplius meretur, nempe illum majorem concursum naturalis ordinis, solum quia stultioris intellectus est, nam ex vi solius meriti, æqualitatem postulabat, et si esset perfectioris intellectus non meretur illum. Nihil autem inconvenientius, quam merita, reddi majora aut præmia, solum ratione naturæ stultioris. Si quis autem dixerit dari illum majorem concursum non ex meritis, sed quia Deus præmiat ultra condignum, hoc nihil est, quia sicut præmiat ultra condignum illum qui est minoris intellectus, ita illum qui est majoris, ergo sicut illi addit majorem concursum, ita et isti, et sic semper excedet illum. Nec minus inconveniens est dicere quod perfectiorem intellectum habenti

denegatur concursus major sibi proportionatus, nam hoc est confugere ad violentiam, et miraculum perpetuum, nam de se petit ille intellectus dari sibi concursum juxta virtutem et activitatem suam quam habet, ergo denegare illam sibi perpetuo, ut alter æqualem visionem habeat, violentum est sicut si igni perpetuo denegaretur concursus ad calefaciendum ut octo.

XIX. Secunda ergo ratio a priori deduci debet ex eo, quod supra disputatione præcedenti probavimus, quod tota virtus proxima, et proportionata ad influendum in visionem est lumen gloriæ, nihil vero activitatis proximiæ confert activitas naturalis intellectus. Et ita duo nobis probanda sunt, alterum quod in hac sententia tota inæqualitas visionum sumitur ex lumine gloriæ, et non ex inæqualitate intellectuum, supposito, quod tota virtus proxima influens in visionem est ipsum lumen gloriæ. Alterum quod in aliis sententiis, quæ hoc non admittunt non potest sumi inæqualitas visionum ex solo lumine. Et primum manifeste patet, quia inæqualitas visionum necessario desumi debet ex aliquo principio ad illam concurrente. Principia autem solum sunt tria, scilicet potentia, lumen, et species. Potentia juxta hanc sententiam non præbet activitatem proximam, et proportionatam ad visionem, sed solum remotam, id est, elevabilem a virtute luminis. Species non præbet virtutem elicivam, sed supponit, solum autem dat representationem accommodatam juxta modum ipsius virtutis. Unde restat quod tota inæqualitas sumatur ex inæqualitate ipsius luminis, quod solum est virtus proxima, non excludendo per hoc representationem speciei, quæ juxta modum ipsius luminis, præbetur, sed solum

excludendo activitatem potentiæ, quasi ex eo, quod activitas potentiæ sit major, sit etiam dispar perfectio in visione.

XX. Secundum vero probatur, quia in quacumque alia sententia sive activitas intellectus concurrat, ut causa partialis principalis, sive ut instrumentalis, si tamen ejus activitas non solum ratione virtutis elevantis, sed etiam ratione propriæ activitatis influit in visionem, impossibile est quod ex majori activitate influente, non crescat in effectu aliquid majoris perfectionis. Hoc enim principium est generaliter verum, quod quando aliquis effectus dependet a duplici causa, quarum quælibet sua propria activitate influit in actum, ex augmento cujuscumque causæ, necessario debet crescere aliqua perfectio in effectu, si quidem crescit influxus in illum, ergo et aliquid factum per talem influxum, et ut terminus ejus. Nihil autem correspondet in illo actu quod non sit visio, ergo inæqualitas visionis sumetur etiam ex activitate intellectus. Et hoc esse verum etiam si una ex causis influentibus se habeat ut causa universalis pro indiviso concurrens cum alia, vel etiamsi habeat se ut causa instrumentalis, statim ostendimus.

XXI. Respondebis ex p. Suarez quod intellectus non habet virtutem ad actum visionis, neque ad minimum ejus gradum nisi incompletam, et inchoatam, scilicet obedientialem, et hæc æqualis est in omnibus intellectibus, quia potentia obedientialis æqualis est in omnibus, et ideo non potest intellectus inæqualiter operari per illam, sed solum ratione virtutis elevantis quando inæqualis fuerit. Cæterum hæc solutio aut verbis ludit, aut incidit in nostram sententiam. Nam illa virtus quam dicit inchoatam, et in-